

§. 14. Convenit etiam DEo Omniscientia quæ DEus omnia scit, quæcumq; fuerunt, sunt & erunt, & quæ esse & non esse possunt, de quæ luculenter docet Scriptura, DEus omnia novisse Job: 16. v. 30. cap. 21. v. 17. I. Cor. II. v. 2. I. Job: III. v. 20. scire omnes creaturas Actor: 15. v. 18. intueri omnes fines mundi Job: 28. v. 14. nihil DEo esse incognitum Ebr: 4. v. 13. DEū numericè omnia scire Matth: 10. v. 30. Psalm: 147. v. 4. & c: vid. Theolog: Positiva, B. D. Calov: p. 68. §. 196.

§. 15. Omnipresentia DEi est etiam attributum respectivum vi cuius DEUS non tantum substantiæ propinquitate, sed etiam efficacia ac operatione adest creaturis omnibus. Universalis præsentia importat universalem conservationem ac sustentationem, sine quæ creatura nulla subsistere potest Jerem: 23. v. 24. Actor. 16. v. 28. Ebr. I. v. 3. Specialis vero præsentia gratiosa infert gratiæ diviæ qualis est præsentia DEi in Ecclesia, & quoad fideles Matth: 18. v. 28. cap. 28. v. 20. Joh. 14. v. 23. I. Cor. 3. v. 16. cap. 6. v. 19. I. Cor. 6. v. 16. Ephes. 3. v. 17.

§. 16. Justitia DEi est quæ DEus est retributor boni & mali vindex Justitia hæc vel universalis est rectitudo sc. voluntatis DEi immutabilis, vel particularis quæ ἀνταποδοτικὴ seu distributivam dicimus quæ tum remuneratrix est, tum vindicatrix. Sic & Dominus atq; Salvator dicitur Justus in se essentialiter, quippe DEus Rom. 9. v. 5. in homine effective quippe Mediator 2. Cor. V. 21. I. Cor. I. v. 30. Jerem. 23. v. 6. Justus tu Domine es, inquit David, & rectum unumquodque scil. judiciorum tuorum vel res recta sunt judicia tua Psalm. 145. v. 18. Justus est Jehova in omnibus operibus suis. Cætera attributa DEi, in quibus prolixos nos esse brevitas prohibet, in Systematibus satis superque hinc & inde traduntur, probantur & explicantur.

§. 17. Ast quod Trinitatem attinet, quæ perperam Antitritarii oppugnant eam, luculenter Scriptura astruit. Expressè enim nominantur tres personæ I Joh. 5. v. 7. Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, itemque in baptismo Christi Matth. 3. v. 16. ac formula baptismi Matth. 28. v. 19. Et quæcumq; verè ac merè  
di-